

proprium suum opus efficiendum opere & sine alterius. Idem artis utitur, quæ proprium suum opus ad usum huius reducat: sicut frænorum fabricatrix ad equestrem; nauium extructrix ad gubernatoriam. Atq; ita ex istorum sententia sequeretur, ut aliæ perfectiores philosophia essent scientiæ & artes, quarum philosophiæ pars instrumentum est. Quod si nõ totam logicam tractationem ad inuentionem & constitutionem eorum quæ in philosophia in quaestione ueniunt, uel in alia aliqua scientia & arte considerantur & quærentur, referri dicant, sed eæ quædam quæ in ipsa hac considerantur & quærentur, quæ nullam ad rem utilia sint: primum concedent consentaneæ a ueteribus, qui ad usum usq; logicam tractationem prouexerunt, instrumentum ipsam & non partem dici: Deinde ex sententia sua asserent, utilem partem logicæ, esse instrumentum: inutilem esse philosophiæ partem. At enim si id quod utile est, melius, & maiore studio, & negotio dignum habetur, quàm quod est inutile: efficietur, ut quæ melior logicæ pars est, philosophiæ & aliarum artium & scientiarum instrumentum: quæ deterior est, & minore studio digna, philosophiæ pars sit. cum tamen instrumentum in omnibus ab eo opere quod est pars, secundum locum obtineat. Præterea si tāquam exercitatio cogitationis habeatur ad ea quæ in philosophia quaruntur, inuenienda: ita quoque in instrumenti loco esset. si uero ad cognitionem ueritatis spectet: contemplatiuæ philosophiæ partis membrum haberetur, cuius uidelicet finis cognitio est. Logica autem consideratur: ut isti dicunt, de inutilibus quæ philosophiæ pars est, quo studio digna esse censetur? Quæ enim studio merito digna sunt, uel ad alia aliqua referuntur, quæ per se sint expetenda, uel in se dignitatem habent. Non enim cuiuslibet rei & utilis cognitio philosophia digna est: quippe cum melius sit, ut nonnulla ignoremus. Sed philosophiæ diuinarum, honoratarumq; rerum cognitio conuenit. ea autem est de iis quæ natura, quæ diuina quædam ars est, efficit. nam etiam contemplari, sicut ex græco nomine, quod est ^{θεωρεω} ^{θεω} id est diuina inspicere, manifestum est, diuinitatem quædam præferre. ^{θεωρεω} enim id est contemplatio nihil aliud quàm de diuinis inspectionem, & cognitionem significat. Unde etiam contemplatiuam philosophiam diuinarum rerum, & earum quæ natura sunt, & constant, esse scientiam asseueramus. talium enim cognitio studio digna per se est. Vbi autem ea quæ considerantur: neq; ad alia aliqua referuntur, neque in seipsis iucunditatem aliquam, aut dignitatem habent: eiusmodi cognitio superuacanea profus cum sit, & inanis, neque philosophiæ accommodata est. Maxime enim omnium conuenit philosophiæ, ut nihil temere quemadmodum agit, ita quoq; contempletur: sed & actioni & contemplationi simili modo terminum habeat. Nam quæ in Geometria considerantur, similia non sunt, ut isti opinantur, qui eam inutili parti Dialecticæ comparant. Primum enim Geometria non est pars eius quæ proprie dicitur philosophia, ut isti dicunt: Deinde Astrologia quæ Geometriæ quodam modo pars est, de diuinis & naturalibus substantiis contemplatur: quarum cognitio & pulchritudinem in se continet, & dignitatem. Accedit, quod quàm plurima sunt, quæ ex Geometria proficiuntur, quæ ad philosophiam sunt utilia: ob quæ non iniuria ei studium impenditur. Nam non de sensibilibus tantummodo, sed de iis quoq; quæ sensum excessere, & sunt intelligibilia, disputare, illud sanè philosophicæ contemplationi utilissimum est: quippe cum incorporeæ & intelligibiles substantiæ priores & preciosiores sensibilibus sint, circa quas contemplatiuus Philosophus uersatur. Præterea Geometria de lineis, & planis, & solidis à pueritia homines tractare assuefacit: & separatim de unoquoque horum rationes docet: quorum nullum sensui expositum est. Possent enim inter se ratione diuidere ea, quæ licet substantia differant, subsistentia tamen & existentia esse separata à se mutuo non possunt: ad Philosophicam contemplationem perquam necessarium est. principia enim eorum quæ natura constant, quæ sunt materia & forma, ita sumit: quæ tamen subsistentia inter se nequeunt separari, neq; alterum absq; altero esse ullo modo potest. Quin & intelligibilium differentias, & numerum generum quibus omnia quæ sunt, subiciunt, hoc modo facit, dum quæ confusa sunt, ratione separat. Nouè enim genera in subiecto in substantia sunt: & sine ea subsistere non possunt. Atq; ad hoc necessaria ita, atq; utilis geometria est: dum separatim de linea quasi de natura quadâ quæ per se fit, separatim de plano, & solido differere assuefacit: quorū nihil absq; naturali corpore ualeat subsistere. Rationibus præterea & demonstratiuibus ad earū q̄ ab ipsa statuunt, pbatiōes cū utat, assuefacit iuuenes, ut in